



SCAFFALI ONLINE  
<http://badigit.comune.bologna.it/books>

*Signonio, Carlo*

*Oratio. Habita in academia Bononiensi 8 Id. NouembBononiæ : ex typographia Ioannis Rubei in Via S. Mammoli, 1563*

*Collocazione: 17-SC.LETT ARCHIGINNAS. F 04, 004*

*<http://sol.unibo.it/SebinaOpac/Opac?action=search&thNomeDocumento=UBO2893274T>*

Questo libro è parte delle collezioni della Biblioteca dell'Archiginnasio.

L'ebook è distribuito con licenza Creative Commons solo per scopo personale, privato e non commerciale, condividi allo stesso modo



[4.0:http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode](http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode)

Per qualsiasi altro scopo, o per ottenere immagini a risoluzione superiore contattare: [archiginnasio@comune.bologna.it](mailto:archiginnasio@comune.bologna.it)

CAROLI SIGONII  
Oratio.

HABITA IN ACADEMIA  
BONONIENSI  
viii. Id. Nouemb.



DEMISSVS



BONONIAE,  
Ex Typographia IOANNIS Rubei, in Via  
S. Mammoli. M D LXIII.

CAROLI SIGONII

Oratio


HABITA IN ACADEMIA

BONONIENSIS

ANNO MDCCLXXV



DEUS EST



1011A 5A

COSTO

BONONIAE

Ex Typographia Iohannis Rubel, in Via  
S. Mammetti, n. 2. 1775.

# Caroli Sigonii Oratio.



**R**ÆCLARE admodum, ac sapienter in primis ille mihi apud ueteres sensisse uidetur, ornatissimi auditores; qui, quam in re homines propè ad Dei conditionem accederent, rogatus, ueritatis potissimum, & beneficentiæ commendatione, respondit. etenim cum alia omnia in Deo præstantissima, atque optima sunt; tum nihil præstantius, ac melius, quam certa ueri notitia, et excellens de hominibus bene merendi uoluntas, & copia cernitur. unde ille merito à nobis non sapientissimus solum, sed optimus etiam, ac maximus appellatur. Quæ causa fecit, ut eruditi homines multi, hominem tum denique beatum, id est Dei, quoad humana pateretur natura, simillimum, iudicarent; cum in ueritate perspicienda, & uirtute paranda studium suum totum, atque operam collocasset. Quamobrem, quoniam ita nobiscum actum est, ut rerum ueritatem uix satis, dum hac in firma corporum compage, et his terrenis membrorum uinculis detinemur, uidere, ne dum abditam assequi, atque in profundo demersam possimus; alterum certe, cuius parem propè cum Deo adepti facultatem sumus, quoad uires nostræ suppetunt, teneamus, ut alteri alteris consulentes mutuis inter nos studiis, atque officiorum ut celsitudine decertemus. Ac me quidem maxima, & propè immortalia huius erga me ciuitatis beneficia mecum animo reputan

A 2 tem

tem ea iandiu cura dies, noctesq; & cogitatio stimulat, ut, quantum possum, me tantorum meritorum memorem, gratumq; omnibus prebeam. Etenim, qui ita ab incunte etate mihi persuaserunt, hanc unam in terris urbem esse, in quam omnia bona, quae à diis donari hominibus maxima, & plurima possunt, abunde essent congesta; Academiam uero eam existere, quae antiquitate, dignitateque reliquis, quas fama accepimus, ne dum uidimus, antecederet; sic iam pridem mihi finxeram animo, me tum demum bene, beateq; uicturum, si mihi contingeret, ut aut in hac celebritate ciuium degerem, aut meam in hoc nobilissimo Gymnasio operam, quantulacumq; nauarem. In quo cum singulari, ac propè diuino senatus huius beneficio, atq; incredibili pene omnium, ut sentio, uoluntate principem ueteris tradendae eloquentiae locum fin hoc tempore consequutus; maxime scilicet eniti debeo, ut tantis erga me studiis, si non re possum, at certe non obscura propense meae erga omnes uoluntatis significatione respondeam. Utinam autem, quemadmodum ego quidem uehementer cupio, ea ipse ingenii essem, atque doctrinae facultate instructus, ut litterarum omnium, quarum nos studio praeter caeteros flagrantes esse intelligo, patefacere, ac demonstrare ueritatem possem. neque enim uestra causa, aut corporis laborem, aut animi contentionem ullam unquam defugerem. Nunc, quoniam id tristi meo, uestroq; fato non licet, non recusabo certe, quin, quas me in hoc clarissimo orbis terrarum Gymnasio huius ciuitatis principes tractare priscae eloquentiae rationes uoluerunt, ad earum laudem consequendam, quam maxime certas uobis semper uias ostendam; atq; in obscurissimo quasi tra-

omite

omite lumen uobis quoddam mea, quaecunque sit, industria praeferam. hodierno autem die, quem pulcherrimum, ac iucundissimum omnium uestra mihi frequentia, atque admirabilis iste in hunc locum concursus reddit, summam, qui meus hoc de toto genere sensus sit, solemnem saltem gratia prolusionis, aperiam. Ego enim ad caeteros dolores, quos ex liberalium artium incommodis multis grauissimos capio, acerbissimum illum omnium haurire solitus sum, cum animaduerto, ueterem illum eloquentiae honorem, qui plurimis ante annis, praua barbaria inuadente, & tanquam turpi pellice genialem pudicae uxoris lectulum occupante, Italia pulsus aliquando tandem restitui captus erat; nostra iterum negligentia turpiore deleris; & quod bonum nobis uel infinita Deorum benignitas, uel naturalis caeli conuersio eadem saepe doctrinarum studia reuocantis reddiderat, id ipsum nostra rursus intempestiua nimis arrogancia extorqueri. Primum igitur, quod summi homines, atq; doctissimi tradunt, ut qui animum ad excimiam hanc oratoriam laudem intendat, ea ingenii magnitudine sit à natura ornatus, ut facile uim illam ad dicendum in animis hominum ab ea impressam, si res poscat, expromere, atq; in actum producere possit: uere illud quidem, atque prudenter tradunt. sed intelligendum est tamen, non in eo posita esse omnia. Nam, ut terram ipsam uidemus sua sponte fruges ferre ad uictum hominum necessarias, at multo tamen plures, & meliores, si diligens eò agriculturalium manus, ac industria se adiunxerit; sic nostros animos, nostrasque mentes, in quibus omnium disciplinarum semina ab initio natura seuit, multo praestantiores, uberiorisque ad

omnem

omnem dictionem futuras intelligere debemus, si studii assiduitas, atque adeo solers ingeniorum sui batio quaedam accesserit. Adde, quod, ut equus, & bos frustra ad usus humanos à natura procreati fuissent, nisi industria hominis extitisset, quæ domandis, atque instruendis illis occultam illam utilitatem eliciisset; sic facultas hæc, commoditasque dicendi obscura lateret in nobis, nisi studii eam alicuius, ac diligentiae lumen accenderet. Quamobrem laudo equidem in primis sapientissimum orato rem illum, quem dicere accepimus solitum, homini bonam fortunam primum, post bonum consilium esse expetendum. quo remoto ne in secunda quidem fortuna satis ad beatitudinem uirium resideret; siquidem eadem etiam regula insignem huius speciem laudis metiri facile mihi uideor posse: ad quam persequendam ingenio in primis acris, atque acuto præditi sumus, necesse est: at si absit studium, & industria, exigua profecto spes decoris ex ea nobis, & gloriæ relinquatur. Neq; tamen ego improbauerim; quoniam, ut corporum, sic animorum nostrorum figuræ uariæ sunt; ut eam unusquisque studiorum ineat uiam, ad quam ab ipso potissimum tacito nature sensu feratur. Scio enim, quantum ad laudem proficiat, propria ingenii bona apta, & congruenti consuetudine doctrinæ fouere; solertesque in eo agricolas imitari, qui non in omni terra uites, aut arbores serunt, sed summo consilio, ad quas quanque aptam fruges cognouerint, ad eas illam exercent. Quanquam, se mee ille auctoritati obtemperarit; quoniam nihil est tam arduum, atque difficile, quod diligentia, & sedulitate non superetur; non propterea animum à tantæ spe gloriæ reuocabit; uerum experiendæ

perendi causa omnia ad reluctante fortasse naturam suam quasi domandam, atque uincendam instrumenta contulerit. quæ cum uariis, ac multiplicibus sint, tum unum laudabile maxime, ac frugiferum est, imitatio. Hæc autem hunc affert fructum, ut, quæ nobis præstantissima à ueteribus ingenii monumenta relicta sunt, studiosissime persequentes, atque eorum, quoad possumus, uirtutem incredibilem æmulantes, quò natura nequimus, industria perducamur. Neque uero hos ipsum uestrum alicui nouum, aut mirabile admodum futurum arbitror. Etenim, si Pythiam illam quondam, cum tripodem ascendisset, ex ipsa terræ aspiratione ita afflatam esse traditum est, ut Dei more futura prædiceret; cur nos non item ex attenta optimorum lectione, & obseruatione oratorum, tanquam furore quodam incensi, easdem uoces edamus, & cum iis propè grauitate orationis, et magnificentia contendamus? Neque uero suadeo, ut ad laudem hanc in dicendo querendam studiose alienas ipsi sententias suffurandi causa uenemur. quid enim hoc consilio posset esse peruersus? uerum ut, quæ in quoque maxime præsent, penicillo quidem nostro, at coloribus, & artificio ueterum exequamur, id est, ut in iisdem propè uestigiis insistentes, eodem, quò illi, ductum tamen, auspiciæque eorum sequuti, deseramur. At assequi non poterimus. quid? an uero nos picis, psittacisque rudiores sumus, quos uoces, uerbaque humana omnia proferre nulla alia uis, quam imitationis, uidemus? aut ad mugitus bouum, balatumque ouium exprimendum ualebimus, ad humanæ orationis uim effingendam haud satis neruorum, et uirium afferemus? Non dubito, quin lepidam nescio quam de quodam rustico

rustico fabellam fando aliquando audiueritis. Hic cum ore esse peruerso in primis, atq; distorto, ueritus, ne turpium liberorum, pater euaderet, rationem, qua pulchram prolem generaret, inuuit. egregias scilicet imagines, & ad uiuum expressas uxori quotidie spectandas, intueudasq; proposuit, deinde cum ea concubuit. quid queritis? factum est, ut mulier liberos non marito homini, ut dixi, turpissimo, sed conceptis illis imaginibus similes, quibus nihil fingi poterat pulchrius, procrearit. Quorsum hæc? ut intelligatis, si pulcherrima nos item eloquentiæ simulachra ueterum scriptis expressa intento animo intueamur, fieri posse, ut et nos aliquid pariter illis simile pariamus. Dicit aliquis: an uero laude illius, cuius esse similes uolumus, ita contenti sumus, ut longius non conemur? utinam quidem cum adipisci possemus, si est optimus. At, illum tamē ut superemus, summo studio perficere debemus. Quod ipsum nisi eorum etiam multum tentassent, quos admiramur, nihil esset, cur nunc in eos illorum capti pulchritudine spectaremus. Summa appetat, necesse est, qui summa querit; & cum iis contendat potius, quos æmulatur, quā eos sequatur. nam qui conatur, ut prior sit, forsitan, etiam si non transibit, gradum eius æquabit, eum uero nunquam adipisceris, cuius utiq; uestigiis tibi ingrediendū existimaris. Quid autem illud erit tandem, quo alteri imitando ante ire poterimus? quid aliud quā ratio quædam, conformatioq; doctrina? Hæc igitur etiam assumenda est, quæq; de ea à nobilissimis dicendi magistris nobis tradita sunt, studiosius complectenda. Sic enim multa nature bona aut luxuriantia coercebuntur, aut manca supplebuntur, aut deprauata corrigentur. siquidem natura

natura tum demum eximia iudicatur, cum occultam artem in se concludit, ars uero tum deniq; illustris existimatur, cum nature similitudinem imitatur. atq; ista duo artus adeo inter se constricta uinculis sunt, ut argutissime ille dicere putetur, qui institutionem omnem contemnere, ac proprium quoddam, & suum in dicendo iudicium sequi uideatur. Neq; uero munera nature solum doctrina, præceptisq; illustriora reddemus, sed ipsam etiam, de qua dicebam, imitationem uacillantem per se, ac titubantem certiore iudicii regula confirmabimus; cum ab arte, quid sit persequendum, quid fugiendum, quid laudandum, quid uituperandum, atq; omnino, quid sit id, quod optimum à nobis effingi uolumus, cognouerimus. Hoc loco querere poterit quispiam, summam ne laudis excellentiam, an mediocritatem dicendi potius quandam expetere debeamus; cum illius persequutio gloriosior sit, huius tutior; laboriosior illa ratio, hæc faciliior. Atqui, si rerum conditionem humanarum respiciamus, quæ plerunq; ex deteriore parte nobis cognite sunt, ita ut uitiorum æternam memoriam conseruemus, uirtutum repentinam obliuionem suscipiamus; securam potius mediocritatem, quā periculosam illam præstantiam consecrabimur. sin autem mentem, cogitationemque nostram alio referentes, consideremus, nos à natura ita esse formatos, nihil ut humile, nihil ut abiectum animo tractaremus, sed ut in uitā hanc, tanquam in mercatum aliquem frequentem perducti, nobilium suorum operum spectatores, & imitatores essemus; si præterea, quarum quantarunq; rerum studium, cupiditatemq; in nobis illa accenderit, attendemus; profecto, utrum nobis horum sit expetendum, persequendumq; non dubitabimus. Referamus, per Deos,

animum ad uitam humanam, eiusq; si uacat, partes singulas circumspectamus; quæq; nobis in terris mirabilia uideantur, cogitemus: continuo, quas ad res natissimas, intelligemus. non enim, credo, parua flumina, quanquam natura fluentia; uerum maximum quodq; ut Nilum, ut Istrum, ut Rhenum, & multo magis etiam Oceanum, ceteraque eiusmodi, quæ ampla, atq; magnifica sunt, obstupescimus merito. Nam aliarum quidem rerum contemplatio nos homines esse ostendit; rerum maximarum appetitio propè Deos esse, aut diuino semine natos, aut certe Deo affine aliquid habere, coarguit; ac uitii quidem uacuitas nos culpa, atq; reprehensione tantummodo liberat; uirtutis uero magnitudo nos honestissimos efficit, atq; omnibus admirandos. Res autem ita habet, ut, quemadmodum in statuis humanis similitudinem, sic in ipso homine eam, qua una sensus omnes exprimuntur; et extolluntur humani, dicendi præstantiam admiremur. Ergo non solum ut mediocritatem hanc uicio carentem, sed ut præcellentem, at lubricam magnitudinem illam consequamur, prisca artis, & doctrine huius præcepta ex uetere huius Academiæ instituto sunt conseruanda. neque ea magna ducenda, quæ qui contemnunt, magni, atq; excelsi putantur; sed ea demum, quæ qui despiciunt, omnino despiciuntur. An uero diuitias nos, aut principatus mirari poterimus, quibus in contemnendis summam gloriam, in appetendis magnum dedecus esse positum sentiamus? non, opinor. sed disciplinam, doctrinam, et scientiam, unde uera laus, unde uirtus ipsa, per quam in primis in hac uita beati euadimus, confirmatur. Cuius tanta uis est, ut ex tribus bonis, quibus longe hominibus præstat Deus, immortalitate, potentia, et uirtute, ipsa sola diuine propria

naturæ

naturæ, ueterum sententia philosophorum, ducatur. qui cum in aëre pariter, & elementis æternitatem; fulminibus, ac procellis uim, impetumq; attribuisent: uirtutis tamen perfectæ compotem neminem esse, nisi eum, in quo perfectæ inesset ratio, Deum existimarunt. Ex quo nostræ euidentius stultitiæ uis elucescit; qui cum diuinam illam immortalitatem in anibus sæpe nostris cogitationibus æmulemur; de potentia uero Dei ita cogitemus, ut eam maxime uereamur; honore autem, cultuq; præcipuo excellentem eius iustitiæ, uirtutisq; speciem prosequamur; immortalitatem tamen, quam natura nostra non patitur, & potentiam, quæ tota in fortuna posita est, sæpius insolenter appetimus, quam uirtutem, cuius ex diuinis bonis propter rationis communicationem simulachrum in nobis aliquod non obscurissimum continemus. Hæc ego de ea, quam ad tradendam accitus sum, disciplina breuiter in primo huius meæ professionis quasi uestibulo attingere uolui, ut, quod necesse erat, hoc clarissimo die nonnulla reliquarum mearum fundamenta iacerem actionum; simulq; officii, studiique erga uos mei aliquam, quoad possem, redderem rationem. Quid est enim, quod huic ego ciuitati non debeam? cuius ea in me expetendo, & alienis è terris accersendo alacritas, & constantia fuit, ut multo plus dignitatis, & ornamenti ex nouissimo hoc præstantissimi de me senatus iudicio, ac testimonio hauserim, quam ex omnibus meis ante laboribus, uigiliisque fructus acceperim. Neque enim id solum adeptus sum, ut in Academia Bononiensi optima conditione præclara dicendi studia profiterer, quod paucis nostra memoria hominibus contigit; sed, ut ibi profiterer, ubi ea cognoueram; atque ingrauescente iam ætate, eam docendi causa

B 2 sedem

sedem ascenderem, cuius subsellia propè puer uiginti ante annos discendi incensus desiderio frequentaram ut, quantum aut uetus puerilis institutionis memoria repetita, aut dulcis uetustorum amicorum, atq; equalium consuetudo longo interuallo reuocata afferre delectationis, & uoluptatis potest, tantum ego illo die perceperim, quo primum de me in hanc urbem euocando decretum esse cognoui. Iam quanti me illud facere existimatis, quod in hanc urbem accitus quodammodo patriæ ipsi, à qua per multos annos absui, mihi uideor restitutus? quæ ita uicina est, ut facile omnia, si opus sit, quæ uel ad animi solatium, uel ad corporis leuationem pertineant, mihi suppeditare; ipsaque à me, uel uoluptatis causa, tempestiue interuifi, uel necessitatis, commode adiri breui horæ momento possit. Quanquam quid de propinquæ restitutione patriæ argumentor? ego, quod omnibus uoluptatibus & commodis præferendum existimo, ad eam urbem incolendam magno me cum honore uocatum esse intelligo, quæ omni genere laudis omnibus Italiæ ciuitatibus, communi omnium hominum iudicio, anteponitur. Etenim si prima huius ciuitatis decora, et uetera dignitatis insignia quærimus, hanc ita antiquam esse reperiemus, ut originis uetustate ne ipsi quidem gentium principi Romæ concedat: & quod ad laudem amplius, ac splendidius est, iis quidem temporibus armis, copiisque ita potentem fuisse, ut, quemadmodum auctoritate erat Etruriæ princeps, sic dignitatis, ac salutis sociorum aduersos Gallos hostes iam tum in Italiam irrumpentes uirtute, & opibus defendendæ ipsa sibi principatum deposceret: post autem populi Romani orbis terrarum uictoris late uagantibus armis ita cecidisse, ut colonie ab eo nomine, & iure accepto, tanquam

arx,

arx, & propugnaculum aduersus eosdem rebellantes Gallos sit constituta. Sin autem nouas laudes, & ceteriora requirimus ornamenta; libertatis diuturna possessio, qua se ab impotenti Germanorum imperatorum dominatu iam pridem uindicauit, & fertilis, optimiq; agri sui aduersus finitimorum impetum perpetua defensio, magnaq; multis bene gestis bellis fortitudinis parta gloria æternam hinc apud omnes homines excellentis cuiusdam uirtutis opinionem, & famam concitarunt. Nitto urbis ipsius pulchritudinem, uiarum latitudinem, ædium elegantiam, camporum, colliumq; amœnitatem summam, atq; omniũ rerum, quæ ad uictum, cultumq; hominum necessariæ sint, celebratam illam ubertatem, & copiam: quibus rebus iusto iudicio hæc urbs cum omnibus Italicis certare urbibus potest. Quid de splendore ciuium, ac magnificentia; quid de humanitate, & elegancia dicam? quibus se hæc ciuitas ad cælum extulisse magnitudine gloriæ, & laudis, uidetur. usq; adeo, ut ea gentium, populorumq; iandudum animi, mentesq; imbutæ opinione sint; si beneficentia, si liberalitas, si hospitalitas deniq; ullum in terris hoc tempore habeant domicilium, eas nimirum Bononiæ, & in uestris singulorum tectis, & penatibus habitare: quiq; à uestra consuetudine alienus, atq; à uestra familiaritate remotus sit, is omnem humanitatis sensum respuere, & uirtutis speciem uniuersam prorsus aspernari iudicetur. Quæ si quid ad hominum uoluntates alliciendas, & conciliandos animos ualent; quid de eximio hoc omnium ingenuarum artium studio dicemus? quæ publice in hac urbe mille ante annos ita coluntur, ut ex perpetuo studiosæ iuuentutis ex omnibus Europæ regionibus, assiduoq; concursu clarissima iam pridem hæc urbs omnis doctrinæ of-



nae officina, ac celeberrimus disciplinarum omnium mercatus esse  
 Etus sit: ne illud dicam, quod tamen in summa felicitate existimo  
 monerandum: quod eam haec ciuitas eruditorum hominum copia,  
 ac natio quodammodo semine segetem fert, ut, quod nulla alia,  
 sine externis ferme professorum subsidis, & adiuuentis ueterem,  
 ac peruagatam egregie, ac praecellens Academiae facile tuea-  
 tur auctoritatem. Quibus rebus omnibus merito effectum est,  
 ut, qui in hac urbe uiuunt, u propè soli in conspectu Italiae, in  
 oculis genium, in luce hominum, atque omnino in ipso domici-  
 lio dignitatis, & gloriae, propter urbis huius, tanquam theatri  
 cuiusdam in omnes terras longe, lateque resonantis, amplitudi-  
 nem, uiuere uideantur. Ne quidem cum haec omnia mecum an-  
 te tacite contemplante singularis quidam amor uestri complexus  
 erat: tum haec noua erga me declarata uoluntas adeo inflamma-  
 uit, ut omnis meae reliquae iam maturescens aetatis solatium in  
 uestrae consuetudinis iucundissima, et in huius pulcherrimae urbis  
 fructu suauissimo reposuerim. Cuius mei sensus non obscurissimè  
 illud argumentum me dedisse constat, cum principum Venetorum  
 me summo studio retinentium uoluntatem uocantis huius senatus  
 uoluntati posthabui: et nouos patronos ueteribus illis potentissimis,  
 ac de me diuinitus meritis anteposui. Quamobrem eo me ad uos ani-  
 mo contuli, ut, quemadmodum initio dicere ceperam, maximo ue-  
 stro prouocatus beneficio, nullo me à uobis humanitatis, atque offi-  
 cii genere paterer superari: sed, quoad ingenio consequi, atque indu-  
 stria possem, perpetuam erga hanc ciuitatem animam mei propensio-  
 nem uestris dies, noctesque inseruiendo commodis declararem. quod  
 quidem emixe me praestitutum esse palam in hac frequentissima ho-  
 dierni

dierni diei, & maxima concione cum clara Musarum, omniumque,  
 quae his humanissimis praesident studiis, numinum contestatione pol-  
 liceor. Nunc uero, posteaquam praeclearam iam in huius possessione se-  
 dis uestra maxima, qui me benigne, atque attente audistis, approba-  
 tione ingressus sum: omnibus iis, quorum in me aduocatio studii, aut  
 opera emittit, ut debeo, gratias agam. inter quos principem appello,  
 necesse est, eum, qui non solum dignitate reliquis praestat, sed omnes  
 etiam studio erga me, atque officio superauit, Reuerendissimum uirum  
 PETRUM DONATVM CAESIVM prolegatum: qui me, cum  
 ne de facie quidem nosset, ita sibi complectendum putauit, ut clarissi-  
 mum humanitatis suae singularis monumentum proderet posteris, me  
 fouendo, ac senatui commendando, uoluisse uideatur. Equidem multa  
 ante de praestanti istius uiri grauitate, prudentia, et iustitia audi-  
 ueram: de eiusdem admirabili item in hac ciuitate administranda  
 sapientia, et mirifico erga Academiam hanc studio non pauca co-  
 gnoueram: at tanta in ignoto, eoque humili homine exornando, &  
 sua auctoritate extollendo humanitatis, quantam in me ipso modo  
 expertus sum, prorsus sensum nullum habueram. Quo magis homi-  
 ni me beneficentissimo omnia, quae à gratissimo proficisci animo  
 possint, obsequia debere confiteor. Deinceps uniuersus mihi illu-  
 strum XL uirum senatus est nominandus, cuius auctoritate omnis  
 huius dignitas Reip. continetur. hic. n. semel atque iterum maximo  
 suffragiorum, sententiarumque consensu me accersendum decreuit: inque  
 ea re cum ipso Reuerendissimo prolegato amore erga me, et beneuo-  
 lentia decertauit. Extant egregie eorum erga Academiam hanc  
 uoluntatis testimonia plurima, quorum illustre illud in primis,  
 ac memorabile, quod eruditis hominibus ad has celeberrimas, &  
 propè

propè augustissimas sedes extrinsecus accersendis semper mirifice  
 studuerunt. quorum e numero quando me unum esse hoc tempore  
 uoluerunt unus etiam ex iis sim, necesse est, quibus dignitas eorū,  
 & gloria commendata sit. cuius officii posthac semper ita appetā  
 principatum, ut, quantum uoce, quantum lingua, quantum aliqua,  
 si qua est in me, dicendi facultate possim, tantum me ad eorū am-  
 plissimi nominis, et memoriæ prædicationem perpetuam pollice ar-  
 collaturum. Reliquis autem, qui mihi aut iudicii, aut amoris sui te-  
 stimonium apud senatores tribuerunt, ita satisfaciam, ut, si re eo-  
 rum explere merita non potero, saltem grata animi beneuolentia  
 æsequar: qua una uel grauisissima quoq; atq; immortalia benefi-  
 cia compensantur. Et, quoniam eorū laudi, commodisq; præcipue  
 studeo, qui, propriis relictis penatibus, ex remotissimis regionibus  
 ad nos se, quasi ad locupletes quosdam uirtutis, et bonarū artium  
 mercatores, contulerunt: dabo operam, ut iis omnibus perpetuo nō  
 hic solum locus, sed domus etiam mea intima discere cupientibus  
 ita pateat, ut inde nullo aut meo tempore excludantur, aut incom-  
 modo, negocioue prohibeantur. in quo potissimum me senatus uo-  
 luntati gratificaturum intelligo: cuius mihi in omni actione aucto-  
 ritatem, tanquam grauisimum numen aliquod, in posterum pro-  
 pè intentis oculis intuendam existimo, atq; eo etiam alacriore ani-  
 mo huic laudi, atq; officio seruiam, si tu PETRE DONATE  
 CAESI, uir præstantissime, quem unum ad huius Academiæ  
 commodum, dignitatemq; tuendam, atq; augendam natum liben-  
 ter, et confitemur omnes, et prædicamus, et me, et lectissimos ado-  
 lescentes hos, qui à te pendemus, uniuersos, in posterum tua maxi-  
 ma, ut cæpisti, humanitate, & mansuetudine complectere.

BIBLIOTECA  
 COMUNITATIVA  
 DI BOLOGNA